



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

De Orthographia In hac impreßione Observata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

*Orthographia hic observata.*

25 DE ORTHOGRAPHIA

*In hac impressione*

OBSERVATA.



Uia vacabant sequentes paginæ , volui,  
*Amice Lector* , te monere aliquid circa  
orthographiam in hac impressione obser-  
vatam : nam cùm variis descripserint com-  
positionem meam, & postea etiam diversi posuerint  
typum, non omnes sicuti sunt easdem regulas, maxi-  
mè quoad scriptionem aliquarum vocum ; forma-  
tionem certarum literarum; notationem accentuum  
in quibusdam vocabulis ; interpunctionem sen-  
suum vel incisa. Ego , cùm mea relegi , etiam pro  
correctione typi , non existimavi operæ pretium  
esse, cum magna molestia tum typothetarum tum  
mea, redigere omnia ad unam normam aut revocare  
ad eundem expressionis modum, dummodo tollere-  
tur dubium significationis, & satis intelligeretur  
scriptorum sensus, uti jam paucis declarabo, nam

I. Quod attinet ad scriptionem aliquarum vo-  
cum, etiam idem significantium, perinde habui , si  
poneretur, *affero, adfero* ; *autor, auctor, author*;  
*cælum, cælum*; *celebs, cœlebs*; *cetera, cætera*;  
*caritas, charitas*; *hæres, heres*; *in primis, impr̄mis*;  
*lacryma, lachryma*; *litera, littera*; *nuncius, nun-  
cius*; *otiosus, ociosus*; *prælum, prelum*; *scheda, sce-  
da*; *sincerus, syncerus &c.* Ratio mea fuit, quia  
in probatis authoribus & in libris bene correctis in-  
venimus utroque modo.

II. Propter eandem rationem non laboravi mul-  
tum de formatione s brevioris , vel s longioris  
in initio aut medio vocis , præsertim ubi duo ss  
concurrebant, video enim hoc særissime neglegi,

*Orthographia h̄ic observata.*

ac imprimi *ſſ*, *ſſ*, vel *ſſ*: neque hactenus inveni rationem vel utilitatem, ob quam hoc vel illud potius fieri debeat.

III. Quoad notationem accentuum in quibusdam vocabulis, scio secundum regulam generalem has voces, *ita*, *adē*, *forā*, *magīs*, *nīsī*, *palām*, *pēnē*, *parūm* &c. in rigore semper notandas fuisse, quando sunt Adverbia vel etiam Conjunctiones, cum etiam spectent ad aliam priorem & nobiliorē partem Orationis, nam Verba sunt, *ite*, *itas*, *itare*; in Imperativo, *ita*: *adeo*, *adis*, *adire*: *foro*, *foras*, *forare*: Nomen est, *magis*, à nominativo, *magus*; item, *nīsi*, à nomine & participio, *nīsus*; item, *palam*, à nominativo, *pala*; *pene*, à nominativo, *penus*, *peni*; *parūm*, à nominativo, *parus*, attamen s̄epe & ordinariè invenies voces illas non notatas, quia usurpatio in hac altera significatione est minūs frequens, imò rara, & significatio illa Adverbii vel Conjunctionis satīs intelligebatur ex adjunctis ac sensu. Et ob eandem causam non habui curam, ut notarentur voces encliticæ, etiam componentes cum alia.

IV. Quod interpunctiones attinet, feci eas, quæ & ubi videbantur necessariæ, vel magis accommodatæ ad discernendum sensum & tollendum dubium, quod esse potuisset, & reddere Lectorem perplexum, nisi vox à voce, hoc aut illo modo disputeret; si que parum sollicitus, an secundum exactum rigorem semper ponerem suo loco notas, quas regulæ orthographiæ præscribunt; Verbo,

V. Direxi me his ferme regulis. 1. Modus scribendi vocem aut formandi literam, qui reperitur apud bonos Grammaticos, aut in libris, qui communiter habentur tanquam bene correcti, dissimulandus est, nec carpendus. 2. Cūm notatio accentuum

*Orthographia hic observata.*

tuum præcipue sit ad cognoscendam distinctionem  
seu differentiam significationis vocum, quando hæc  
aliunde sufficienter innotescit, opus non est ubique  
velle illam oculis ingerere, sic enim notulis illis  
propè infinitis Lector potius impeditur vel distra-  
hitur. 3. Interpunctiones illæ sunt faciendæ, quæ  
ubi, & quando melius conducunt, tum ad distin-  
guendum sensum periodi, tum ad intelligen-  
dum, quæ vox aliam afficiat. Si quandoque  
intentionem ipse meam non sim secu-  
tus, vel affecutus, *benevole Le-*  
*ctor, veniam dabis.*



**LIBER I.**